Ipse scis quam aegre tulerim recessum tuum ab aula, plures ob causas quas tunc tibi exposuj. Iam vero tibi persuade, me tanto magis gaudere, quod intelligam eo te reversum quo Regiae Mati operam praestes, et amicis. Spero enim quod concordia vestra et reconciliatione eorum qui videbantur inter se dissidere, cuius aliqua mihi videntur iam facta fundamenta, et Regis utilitas et Patriae salus procurabitur. ad quam rem notissimum est necessariam esse concordiā eorum qui rebus praefuturj sunt, Precorque Deum ut suam sic vobis impartiatur gratiam, ut rebus eam opem ad-ferre possitis, quam necessitas postulat. Ego non possum tibi non summas agere gratias, pro eo quod mihj das consilio, cuj etiam libenter acquiescerem, nisi et ad Egmundanum scripsi, ad cuius literas nec eadem repetam, me remitto, id omnino per decorum et conscientiam mihi non esset integrum, quod tibj mirū videri non debet, cum eadem a mea parte adhuc militent rationes, quas toties tecum contulj. Procul enim absit a me, ut dum temporj inservio et gratiam capto conniveam ad ea quae obesse patriae aut conscietiae et animo meo possunt, neque tam parum constans viderj

Koninklijk Huisarchief Den Haag
A 11/XIV C/Ha-4
http://www.inghist.nl/Onderzoek/Projecten/WVO/brief/171

nolo, ut ea quæ certo consilio et sententia parentum et
amicorum meorum, diu antea decreuj, mittam, ob non
nihil mellis Hispanici, quod summis nobis labris illi-
nitur. Quod ad filium meum attinet, cum huc uo-
cauj quo eum uiderem antequam discederem, miror quæ
res eo redactas, ut iam sine suspicione atque offensione
Dominj et aliorum pater non possit uidere et alloquj
filium, et certe cum adeo accommodemus nos chilellu,
futurum breuj uidetur, ut non recusemus frenum et
sellam. Quantum ad me attinet non tam sum uahidis
lateribus, ut eas ferre possim, nec eo animo ut alijs
imponam: Malo itaque patj quicquid euenire poterit
quam ut de me dicj possit, me coactum ab eis quos
tantopere damnauimus, eo uenire quo ipsi iam olim
res deducere uoluerunt, et quod ab ijs receptj sumus
in gratiam, Cum certj essent Regem post suum aduentum
eis gratiam et honorem omnem relaturum, nosque limis
et trauersis oculis aspiciendos et pro meritis ab eo excip-
piendos, exponendosque omnium uocibus, qua ut inter
alia cauerem, malij recederij aperte tecum ago, quod
sciam me abs te haberj inter præcipuos amicos quod

Koninklijk Huisarchief Den Haag
A 11/XIV C/Ha-4
http://www.inghist.nl/Onderzoek/Projecten/WVO/brief/171

quod et reipsa cum notis comprobabo. Quantum ad Comitem Aremburgensem, ago ei gratias pro oblatis officiis, neli[illegible] ei vicissim ea praestare, nec opus est ullis literis, cum plenam ei adhibeam fidem. Bredae dictum est concionari antiquam Antuerpiae. Quare mihi est quod hic quisquam calumnietur. Quod ad praesidium Arois attinet, idem sentio, nec tam cito dimitti poterit quam ego discedens vellem. Datum Bredae 14 Aprilis.

Epistola ad Comitem Hornensem missa, refertur se ad aliam ad Egmundanum missam.

Koninklijk Huisarchief Den Haag
A 11/XIV C/Ha-4
http://www.inghist.nl/Onderzoek/Projecten/WVO/brief/171